



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XVI. Vtrum intentio conditionata sufficiat ad valorem sacramenti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

intrinsecam aliquam relationem, & propter aliquam simul reflexionem supra eandem; & imperans, atque inducens vi sua actiones exteriores sacramentales. Huiusmodi intentio est: velle operari in ordine ad finem præintendum. Nolle actionibus iam inceptis nouum motuum adiungere; velle constantiam propositi in tali opere: Velle illud absolueri, prout inchoatum fuit; velle insistere ceptis, seu progredi in eisdem, aut plenarie satisfacere priori animi inclinationi. Quibus sunt alij similes quamplures, supra priorem intentionem, reflectendi modi, eandem in se virtualiter continentes, & inuicem æquivalentes, iidemque vsque adeo familiares, & tam facile insinuabiles animo post præmissam iam deliberationem, & intentionem directam finis, vt vix percipiantur, aut veniant sub experimentalem notitiam, distinctam, & claram. Caterum ratio manifesta conuincit potentias exteriores non posse moueri, aut applicari de nouo ad opus, aut continuare suas actiones, quin illis imperet actualiter tunc existens, vel noui motui noua intentio, vel præexistens continuatio, seu repetitio, vel formalis, vel virtualis modo dicto.

Artic. 7. Noua noui finis intentio impertinenter se habens ad priorem intentionem non sufficit ad valorem sacramenti. Quia tunc prior intentio nullatenus influit in actiones tempore posteriori exercitas, neque ista ab illa mediata, vel immediate dependet. Immo vix fieri potest, vt talis noua intentio non excludat, ac retractet priorem intentionem; Tum quia nouum motuum, siquidem intenditur absque vlla attentione ad motuum præcedens, intenditur vt adæquatum positiue, & negatiue, adeoque excluditur, & retractatur prior intentio. Tum quia, qui omittit, nec actualiter vilo modo intendit motuum, cuius intentionem significant verba, & actiones exteriores, quibus deliberatè se applicat; id vtique facit volendo fingere, ac mentiri, adeoque idem motuum reiiciendo, & retractando eius intentionem, si præcessit. Necessè igitur est, vt ultra intentionem præteritam, & non retractatam, adsit actualiter intentio alia ratificatiua illius, eiusdemque saltem virtualiter iteratiua aliquo ex modis supra insinuat; vi cuius, per se ipsam applicantis potentias inferiores, inducantur actiones exteriores sacramentales, vtpote habentes, ab eadem sic influente valorem, ac vim illatiuam gratiæ.

Art. 8. Vnde apparet, quare intentio offerens valorem sacrificij, aut aliorum operum in finem determinatum, non necesse sit vt actualiter adsit per se, vel per aliam intentionem intrinsecè continuatiuam, ac contentiuam ipsius, quando sacrificium peragitur, vel meritoria eliciuntur. Quia delictet intentio purè applicatiua, non est causatiua valoris, quem offert, seu applicat, & effectus, quem immediate intendit, ponitur à parte rei per voluntatem alterius; in cuius proinde præuisione sufficit, vt actualiter perseveret intentio applicatiua, quando executioni mandantur actiones exteriores, seu interiores habentes aliunde valorem. Oppositum huius accidit in intentione conferente valorem sacramento, seu sacrificio, vel operi meritorio, vt patet ex dictis. Ex quibus etiam patet quid dicendum sit ad ea, quæ pro vtraque parte dicta sunt, aliquid vtriusque concedendo, aliquid negando.

QVÆSTIO XVI.

Virum intentio conditionata sufficiat ad valorem sacramenti?

Videtur non sufficere. 1. Quia materia, & forma sacramentorum, maxime verò formæ: *Ego te absoluo*: *Ego te baptizo*: significant absolute, atque ad verificandam significationem absolutam non sufficit intentio conditionata. Dictum autem est q. 13. non sufficere, ad valorem sacramenti intentionem, quæ non sufficit ad verificandam significationem sacramentalem.

2. Non valet sacramentum sub hac conditione, si cras peccabis, vel etiam non peccabis; si abusus es sacramento, vel è contra, & similibus. Idem communiter censetur de his: si es prædestinatus: si Deus scit te non peccaturum esse cras, te lecturum, pugnaturum, & sic de similibus. Eadem autem videtur esse ratio, de quauis alia conditione.

Art. 1. Respondetur. Certum primo est, non reddi nullum sacramentum per appositionem cuiusvis indiscriminatum conditionis de præterito, aut præsentis. Nam cap. 2. de Baptismo consultitur, vt ij, de quibus dubitatur an iam fuerint baptizati, baptizantur sub hac conditione, & expressione: *Si non es baptizatus, nec dubitatur valere sacramentum: Ego te baptizo, si es homo viator: Ego te absoluo, si habes characterem baptismalem*. Certum secundo est valere sub quauis conditione necessaria ex sua natura; vt si *cras Sol lucebit*, quia intentio sic conditionata perinde aestimatur, atque omnino absoluta, & vtraque infert suos effectus eodem modo. Intentio namque conditionata, data conditione, redditur absoluta; atque conditiones ex sua natura necessariae iam dantur. Licet enim Sol crastinus modò non luceat; modò tamen datur, quod lucebit; idque est notum omnibus. Quæ ratio notitiæ est omnino necessaria, vt mox dicitur in tertia illatione. Certum tertio est, quauis per ministrum apposita conditione, eaque non subsistenti, sacramentum reddi nullum. Quia hoc beneficium dispensat minister liberè, quando, quomodo, & cui vult, vt superius dictum est. Quare ipso nolente facere quidquam, aut præstare, nisi sub tali conditione, si ea non subsistat, nihil sit, aut præstetur.

Artic. 2. Hinc colligitur: Primò sacramentum sub conditione impossibili esse nullum. Quia talis conditio nunquam subsistit. Colligitur secundo intentionem conditionatam conditione redeunte in ipsam intentionem; id est habentem se ipsam pro conditione mediata, vel immediate non sufficere ad valorem Sacramenti. Quia talis conditio est impossibilis in ratione conditionis. Fieri namque non potest, vt intentio distinguatur realiter à se ipsa, aut vt existat independentè à se ipsa, quatenus determinante formaliter voluntatem ad dandam sibi existentiam. Est verò de ratione conditionis, vt distinguatur à conditionato, & eius intentione, vtque existat independentè ab eadem intentione. Dicitur autem intentio habere se ipsam pro conditione immediata quidem, quando apponit pro conditione aliquod prædicatum secum re ipsa identificatum; mediata verò cum apponit pro conditione intentionem aliam realiter distinctam à se, sed quæ ipsam vicissim apponat pro conditione. Quibus profectò modis nemo Sacramentum aut quidquam aliud vnquam intendit. Discutiunt tamen ex professo sic intendentem nonnulli subtiles Theologi in præsentis, quibus præmit Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 13. sect. 3. ad 3.

Art. 3.

Art. 3. Colligitur denique appositio, pro conditione; aliquo contingenti ignoto, aut non certo noto, siue præteritum id sit, siue præsens, siue futurum, siue diuinum, siue creatum, Sacramentum esse nullum. Quia conditio ignota, aut non certo cognita est impossibilis ratione sacramentalis significationis, seu complementis sacramentalis significationem. Nempe Sacramentum pendens à conditione ignota, aut dubia nullatenus ducere potest, aut non nisi incertè, ad cognitionem collationis gratiæ; cum tamen sit de essentia Sacramenti, ut quantum est de se, ducat in cognitionem illius, eamque certam. Quod liquet ex superius positis, & patebit magis quæstione 26. Quia verò ignorantia & incertitudo per se datur in nobis respectu futuri contingentis, & connexorum cum ipso; propterea quæstio communiter proponitur de eiusmodi contingenti, & de connexis cum eodem. Ceterum ratio nullitatis Sacramenti est eadem, ut iam satis apparuit, siue intentioni, aut formæ: *Ego te absoluo*, adiciatur; *si cras dabis elemosynam*; *si Deus scit te daturum*, *si es prædestinatus*: siue adiciatur; *si stella sunt pares*; *si Deus scit ita esse*; siue adiciatur; *si Titius heri hora septima fecit actum contritionis*; & sic de similibus. Nempe, omnibus eiusmodi conditionibus, utpote aequè ignotis, aut incertis, aequaliter suspenditur, ac aufertur vis certa significandi præctice collationem gratiæ; ac proinde, & essentia Sacramenti.

Art. 4. Videtur autem probabilius Sacramentum valere sub qualibet eius generis conditione, si perficienti, & suscipienti Sacramentum adsit notitia certa; quod ea conditio subsistat. Existenti enim huiusmodi certitudine, nihil officit conditio collationi gratiæ, eiusdemque significationi, & perceptioni; perinde namque subsequitur, ac percipitur collatio gratiæ, siue intendatur, ac dicatur: *Ego te absoluo*; siue addito, siue cum hoc addito: *Si Antichristus seducet multos*; *si est reprobis*; *si Deus id scit*. Nec obstat adfuturam esse nihilominus Antichristo libertatem, ut neminem seducat, utque non reprobetur. Quia ea libertas, ac potestas simpliciter antecedens est coniuncta de facto cum necessitate consequenti oppositi; atque hæc necessitas est intrinseca Sacramento, quod intentum, & perfectum sit, uti modo dictum est. Quare Antichristus habebit solam potestatem simpliciter antecedentem, ne illa certitudo data fuerit, & consequenter ne Sacramentum valide perficeretur dependenter ab illa, nec gratia ex eodem taliter administrato obtineretur; non verò ne Sacramentum validum absolute perficeretur cum tali conditione, neve gratia sacramentalis absolute conferretur. Ex quo patet quid dicendum sit circa nonnullas difficultates de abusu gratiæ sacramentalis impediendi conditionem de facto appositam Sacramento, & consequenter eius valorem, atque illationem gratiæ. Idem enim dicendum est circa hoc, quod dictum est circa Antichristum.

Art. 5. Ut ut autem hoc habeat certum est grauius peccare ministrum apponentem, siue graui causa (quæ vix vnquam occurrere potest) conditionem aliquam non necessariam ad validum Sacramentum, iuxta naturam ipsius. Quia in re graui siue graui causa deludit fideles, si conditionem apponit occultè, si palam scandalizat substantiali nouitate ritus & vtrouis modo exponit Sacramentum periculo frustrationis; nec gerit se, ut fidelis minister Christi, & Ecclesiæ; dum alterat formulam præscriptam Sacri Ministerij sibi commissi. Igitur eas tantum conditiones expresse apponere licet, quæ tamen non exprimantur, virtualiter includuntur in ipsa rei natura. Communis hinc observatio in præsentem est, ministrum matrimonij posse, tum valide, tum etiam licitè

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

adiicere huic Sacramento omnes conditiones siue de præsentem, siue de futuro, quæ licitè, & validè opponerentur in puro contractu. Quia materia, & forma sensibilis est eadem pro Sacramento, & contractu, & utraque habet rationem materiæ respectu rationis formalis Sacramenti. Quæ videlicet utramque extrinsecè denominat, & vltimò complet in ratione Sacramenti. Quare hoc Sacramentum, tunc demum perficitur, & vltimo completur intrinsecè, cum omnes conditiones requisitæ ad valorem contractus iam sunt positæ à parte rei; tamen aliquæ fuerint tempore posteriores, quam intentiones ministrorum, & earum causalitas ac motio physica. Quod in aliis Sacramentis accidere minime potest. Quia in illis conditiones appositæ pro libito à ministro non pertinent secundum se ab substantiam Sacramenti, nec rationi illius formali subiiciuntur, tanquam materia designata à Christo Domino, uti subiiciuntur conditiones contractus matrimonij; ideoque valor, & substantia aliorum Sacramentorum suspendi, ac differri non potest vsque ad tempus positionis conditionum de futuro; uti potest in matrimonio.

Ad 1. Licet materiæ, & formæ Sacramentorum habeant modum significandi absolutum; subintelliguntur tamen conditiones, quas secum afferunt ex sua natura res significata, & res significantes. Quales conditiones sunt in quouis Sacramento dispositio, ex parte suscipientis, necessaria ad effectum Sacramenti ipsi communicandum; & ex parte ministri potestas perficiendi; in Sacramento non iterabili, non fuisse prius susceptum idem Sacramentum, & sic de aliis. Atque eiusmodi conditiones, nil interest, an explicitè adhibeantur, an subintelligantur implicitè. Aliæ verò conditiones vltius adiunctæ ex arbitrio ministri, non omnes corrumpunt substantiam significationis absolute, sumptæ moraliter, & iuxta communem hominum apprehensionem, ac estimationem, ut apparet ex his quæ præmissa sunt.

Ad 2. Patet ex dictis quænam distinctio, adhibenda sit circa eiusmodi conditiones de futuro contingenti, vel de præsentem connexo cum tali futuro, nec admittendos esse, aut reiiciendos omnino auctores, vel affirmantes, vel negantes circa illas, absque tali distinctio.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum Sacramentum possit esse validum existentibus in ministro intentionibus contrariis?

Videtur non posse. 1. Quia volente Caio matrimonium contrahere cum Semproniam, & non cum alia, simulque volente contrahere cum Titia præsentem, existimata Semproniam, sacramentum est nullum, tamen accesserit consensus vicissim verbis expressus. Videtur autem eadem esse ratio de quouis alio Sacramento, & de quouis alia oppositione intentionum. Ergo sacramentum nunquam valide perfici potest existente in ministro intentionum contrarietate.

2. Corpore in oppositas partes simul impulsio, nullus sequitur motus localis. Ergo nec animo oppositis intentionibus huic, & illuc simultaneè distracto, vllus vnquam in vlla materia effectus moralis sequetur. Nempe, quod est impulsus in corpore, est volitio, ac intentio in animo.

3. Nemo nolens, absoluit, donat, &c. validè, quæ tamen præstat, qui perficit sacramentum. Ergo sit